



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Mariani Societatis Iesv

Nádasi, János

Romæ, 1658

Anno MDLV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42840

ANNO MDLV.

*Respectus
humanos
eius amo-
re supera-
re.*

887 P. Ignatius Martinez hoc anno in Catechesi cum de B. Virgine loquens, inuitansque auditores, diceret: ecquis vellet honori Virginis Salutationem Angelicam *Aue MARIA* publicè recitare, cum omnes tacerent humano quopiam, alioiù respectu, ecce tibi in omnium oculis tener infans qui è Matris amplexu pendeat, licet per ætatem loqui adhuc nihil sciret, aut posset, disertè tamen, ac scitè *Aue MARIA* pronunciauit, quemadmodum ex ijs ipsis qui adfuere accepimus. *Quidlibet potes*, ait illam laudans Græca Ecclesia, *ut Mater illius qui omnia potest*.

*Menea
7. April.*

ANNO MDLVII.

*Vis. Tur-
sell. hist.
Lauret.
l. 3. c. 14.*

888 Laureti hoc anno Patrum de Societate non nemo sermonem de more ad Canonicos habebat. plerique Patrum, confessiones excipiebant aduenarum: nonnulli *in augustissima Virginis cella* Deo supplicabant: cum repente (quod habet Tursellinus) è summo tholo cælestis flamma, cometæ instar, emicare visa dicitur; atque inde supra sacellum lapsa, parùmper ibi stetit: hinc ad concionem progressa, cunctis miraculo ac stupore torpentibus gratum præbuisse spectaculum: demum flexo in diuersum cursu, ad destinatum confessionibus locum (pœnitentiariam appellant) supra Sacerdotum, pœnitentiumque capita discurrissè. Seu tua, seu aliorum peccata expies, siue ad concionem dicas aut alium dicentem audias, siue ores; ubique ignis à Deo per DEI Matrem petendus est, qui te illuminet ac inflammet, quæ à S. Cath. Senensi dicitur *Portatrix ignis*.

*Deiparâ
pro con-
fessione, et
concione
inuoare.*

*in orat. in
fine Dial.*

*Sacch.
n. 65.*

889 P. Iacobus Ledesma de Societate ineunda atque puritate perseuerantiaque retinenda sollicitus,

Bri-